

venienti in ponte Eszekiensi vectigali, excessivas (si quae fierent) exactiones, re plene investigata, sublaturam. Ut autem dominorum terrestrium ratione educillorum praejudicium ad mentem etiam articuli 4. anni 1729. tollatur; capta et desuper prius informatione, tam ad militares, camerales et postales officiales, prout et Eszekiensis fortificationis regularum magistrum seriis sua via dandis mandatis semet prospecturam, quod clementissime resolvere dignata sit Sua Majestas Sacratissima, eidem humillimas subditali in devotione gratias praefatorum Regnorum Status et Ordines reponunt.

De Locorum infrascriptorum oneri contributionali subjectione; quemadmodum et negotii, ratione contributionis possessionum Mala et Csernek, accommodatione.

Articulus 38.

Ex benignissimo Suae Majestatis Sacratissimae consensu et annuentia conclusum est: ut impopulata illa monasteriorum Graeci Ritus non unitorum loca, utpote: Kraszedol, Remete, Gergetek, Vernyak, Beszenano, Sisatovacz, Kövesdin, Gybsa, Ratovacz et Pribina Glava comitatui Syrmensi adjacentia, contributionem interim cassae domesticae applicandam solvant; quemadmodum et pagus Chepin in comitatu Veröczensi situatus et per Generalem Eszekiensem possessus, etiam quoad proportionata onera contributionalia jurisdictioni comitatensi subjiciatur. Nec absimiliter per Suam Summefatam Majestatem Saeratissimam benignissime commissum habetur: ut differentia ratione possessionum Mala et Csernek, intuitu contributionis vigens, quamprimum sopiatur.

De Civitate Segniensi.

Articulus 39.

Erga humillime porrectam particularem Civitatis Segniensis instantiam intuitu eorum, quae contra statum militarem exposuit; Summefata Sua Majestas Sacratissima legibus Regni, et aequitati conveniens remedium benignissime sese posituram resolvit.

MARIAE II. HUNGARIAE REGIS QUADRAGESIMI OCTAVI DECRETUM III.

ANNO DOMINI 17⁶⁴/₆₅

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

De Littoralis Austriaci recentius inducta compellatione.

Articulus 30.

Quod per Littoralis Austriaci compellationem, ex ipsa tantum situs ratione de sumptam, Juribus Regni haud quidquam derogandum, adeoque ipsius etiam Sacrae